



an 39.
40.

Rector
ACADEMIÆ VIADRINÆ
MAGNIFICUS
GREGORIUS
FRANCUS
SS. Theologiæ D. & Profes-

sor, Venerandi THEOLOGORUM ordinis

DECANUS

ad exsequias funeris,

*Qvas
Ipso die Viridium.*

JUVENI

*apietate, doctrina & humanitate
commendatissimo*

MARTINO VVALTHERO

Sprottaviensi Silesio

Medicinæ & Philosophiæ

cultiōri industrio

bonorisē ad paratas Cupiunt

POPULARES & AMICI,

Cives Reip. Literariæ universos

amicē invitat

ANNO

M. DC. XXV.

Typis

MICHAELIS KOCHII.





Tempus est lugendi. Passio Domini cele-
bratur. Tempus gemendi est, tempus flen-
di, tempus confitendi & deprecandi. Et
quis nostrum idoneus est, ad effundendas
lacrymas, pro dignitate doloristanti? Inter alias Psal-
mi XXII meditationes quæritando exclamat, exclam-
mando quæritat Hippoensis Episcopus augu-
stissimus: Cum quo pius quisque merito ingeminat &
lugenti gementique affectu pergit. *Quis dabit capiti*
meo aquam? & oculis meis fontem lacrymarum? Si
verè esset fons lacrymarum in oculis nostris, nec ipse
sufficeret. Hunc lacrymarum fontem totius mundi
dolores, etiam si in unū cōflari possēt, nunquā æqua-
re poterunt. Thomas de Kempis personæ deplorat
dignitatē & Christianorū viscera penetrando con-
tumeliosè tractatū omnium oculis exponit & exhibe-
bet: *Ecce, inquit, altissimus super omnes, infra omnes*
deprimitur: nobilissimus de honestatur: speciosissimus
sputis inquinatur: sapientissimus deridetur, potentissi-
mus ligatur, innocentissimus flagellatur, sanctissi-
mus spinis coronatur, mitissimus colaphizatur, ditissi-
mus depauperatur, largissimus spoliatur, castissimus
denudatur: dignissimus blasphematur, optimus vitu-
peratur, doctissimus fatuus reputatur, amantissimus
odio habetur, veracissimus abnegatur, innoxius con-
demnatur, medicus vulneratur, DEI filius crucifi-
tur, immortalis occiditur, Dominus pro servos suspen-
ditur.

ditur. Ante Kempisium lamentorum plenissimum
Bernardus dolentis æquanimitatem exaggerat & in
tristes erumpit jamclos! Quid turpius? quid contu-
meliosius, quam expui in faciem speciosissimam, in-
quam desiderant Angeli prospicere: Et talibus tamen
ſputaminibus, ut addit Hieronymus, faciem animæ
noſtræ lavare, velamine faciei velamen cordium no-
ſtrorum auferre, colaphis quibus percussus est in ca-
pite, primum caput hominum, nempe Adamum, sa-
nare, noſtraq[ue] peccata omnia patienter in ſe transfe-
re voluit. Noſtra nimis omnia in ſe peccata tran-
ſulit, ſingula pro nobis omnibus patienter ſustinuit,
nec pro uno duntaxat & altero, ſed pro universis: nec
minus pro uno & ſingulis, quam pro omnibus. ad.
Rom. 4,15.2. Cor. 5,14.15.1. Tim. 2,6. Hic qui totum
mundum redemit, plus dedit, quam totus mundus
valeret: unde juxta verba Leonis Magni, sanguis hu-
jus tam potens ad privilegiū, tam dives ad premium,
ut ſi universitas captivorū in redemptorem ſuum cre-
deret, nullum planè tyrannica vincula retinerent. O-
mni ergò diligentia & vigilantia caveamus, ex ſer-
monibus Auguſtini: ne vulneret diabolus, quod fa-
navit Deus. Et ut ſermone CXIV hominem allo-
quitur: Agnosce homo, quantum valeas & quantum
debeas & dum tantam redēptionis tuae perſpicis di-
gnitatem, ipſe tibi in dicito peccandi pudorem. Ecce
pro impio pietas flagellatur: pro ſtulto ſapiencia illu-
ditur:
anav

ditur: pro mendacio veritas necatur: damnatur justitia pro iniquo: misericordia afficitur pro crudeli: pro misero repletur sinceritas aceto: inebrietur felle dulcedo: adducitur innocentia pro reo: moritur vita pro mortuo. Quas meditationes ruminantur meritò hoc tempore Pii & Electi homines, qvi vulnera Christi perspiciunt, redemtionis dignitatē agnoscunt, ^{λύτρος} preciositatem sibi sacris consolationibus applicant. Eadem cogitatione studioq; sanctiore occupatum fuisse accepimus MARTINUM WALtherium Sprottavensem Silesium, juvenem à pietate, doctrina & humanitate cōmendatissimum. Enī verò Christum, passione sua peccatum omne & chirographum ejus cruci affixisse, fusōq; sanguine oblitterasse piè credidit: animæ suæ vulnera, Christi vulneribus sanata & ægritudines omnes, letifera potionē absumtas esse agnovit, iterum ex mente Augustini: *fusus est sanguis Medici & factū est medicamentum phrenetici.* Cor dis sui abdita amoris divini ignem penetrasse, incendiisse sensit & cum Bernardo statuit, *nullius cor ita tepidū esse, si ponatur in fornace amoris Christi, quin intueatur, quantum in passione nos amarit & accendatur ad amandum DĒUM & proximum.* Educatus sc. ille à primis vitæ incunabulis ad pietatem virtutesq; Christiano homine dignas, & ut calorem pectoris, divini amoris igne magis atq; magis accenderet, fidelissimè informatus est. Parentem n. habuit vene-

venerabilem & præstantem Dn. M. GOTHOFREDUM
WALTHERUM Ecclesiæ Cupperanæ in Silesia Pasto-
rem vigilantissimum: Avunculum itidem Reveren-
dum & eximum Dn. M. ADAMUM LIEBIGUM Ec-
clesiæ Bethaniensis Pastorē spectatissimum: Avum
deniq; maternū, qvem primò nominare debebam,
Consultissimū & Amplissimum Dn. ADAMUM LIE-
BIGUM Seniorem, Consulem in Repub. Sprottavi-
ensium patria magnis summisq; meritis multos an-
nos celebratissimum, in legationibus difficilimis fe-
liciter expediendis RODOLPHO II. Imperatori invi-
etissimo, laudatissimæ memoriae, notissimum & ca-
rissimum. Horum partim exemplis, partim monitis
excitatus & in patriam scholam traductus puer indo-
lis mox lætam prodidit segetem, qva in virescentem
assurgente herbam, haud levis propinquorū animis
& doctiorū judiciis spes excitata est, qvi ut transplan-
tatione quadam vires illas viroremq; auctum irent,
in hortos Musarum Bethaniensium, Thoruniensium,
Joachimicarum ablegarunt amoenissimos; in
quibus crevit Literis Humanioribus & moribus e-
legantioribus velociter & ut flos quidam pietatis &
probitatis vividus effloruit feliciter. Cum verò
ingenium ad cognoscenda optimorum studiorum,
genera avidum & attentum literarum Patronis in-
notuisset, non modò inter alumnos Athenéi Schön-
aichiani, qvod ad illustrem sui Nomini memoria

-novis

A 3 Baro

Baro religiosissimus bono aperuit publico, benignè
receptus, sed etiam majori *Munificentie* Bergeria-
næ stipendio ulterius ad studia alacriter urgenda in-
citatus est. Si quis scire velit, qualem se inter studio-
rum consecraneos Waltherus gesserit? epistolam
expendat ad Experientissimum & Clarissimum A-
cademiæ nostræ Medicum Dn. D. GOTHOFREDUM
WEIDNERUM Professorem & Augustissimo Ligio-
Bregensium Duci DD. JOAN. CHRISTIANO &c. à
consiliis Medicis, collegam nostrum plurimum ho-
norandum, ab avunculo venerando scriptam, in
qua inter alia eximiam studiorum *magistraturam* consi-
gnatam vidimus. Animum ad Medicinæ studium
applicavit Waltherus, in quo ut laudabiles optatos
que progressus faciat, ad Vos mittitur. Ingenio à na-
tura instructus est haut infelici. Literis Humaniori-
bus strenuam hactenus dedit operam: quotidiè etiam
studiorum cupiditate magis incenditur & in hanc
curam unice incumbit, ut certo Doctore ad Medi-
cinæ penetralia pervenire possit &c. Votis sine dubio
& expectationis suæ compos factus fuisse Avuncu-
lus, si ex sorore Nepos febri jam delassatus in itinere
nec profectionis divergiis vires magis atque magis
debilitasset, nec navigio commissus morbum mali-
gniorem reddidisset. Nostræ enim Academiæ mem-
bris XIV Febr. commendatus, tandem V. Aprilis
appulit: quorum auxilio promotus, sequenti post
adven-

adventum die & in numerum Studiosorum & ad
beneficium communis mensæ receptus est. Uno
duntaxat usus prandio, febri ardenti aut potius re-
cidiva vehementi iterum corripitur, cuius maligni-
tatem dissimulavit penitus, nec Medico, nec conter-
raneis concredit. Interea fortè fortuitò Dn. M. Jo-
annes Francius, juvenis literatissimus, cui etiam
commendatus erat, audivit, Waltherum morbo
correptum gravissimo; adiit ipsum, visitavit ægro-
tum, consuluit Medicum: Cujus etiam fidelitas
summa morbum depulisset, si citius fuisset adhibita,
nec ægrotaritis nimia imbecillitas aut morbi nimius
impetus operam lusissent omnem. Vixit unam
tantum septimanam in nostra Academia, brevi ad-
modum tempore, eò citius in cœlestem Academi-
am & societatem Apostolorum receptus à DEO:
à DEO, inquam cum Hugone, vocante ad glori-
am & à miseria omnisq; ægritudinis generibus libe-
rante. Medicinæ studio dedit valedixit terræ, in qvæ
morbis tot tantisq; obnoxii sumus & interna qvæ-
dam lues animos nostros inquinat: & in cœlestem
traductus est Φαεμακοθιανν, ubi perpetuus Israëlis
Medicus sanat languores nostros qui est expertus
dolores nostros: ubi vulnera obligat nobis, qui est
vulneratus pro nobis: servat vitam hanc mortalem,
qui nobis meruit immortalem. Videte ergo quan-
tum contulerit ipsi præproperus ex hac vita disce-
sus.

bus : æstimate meditationem mortis Dominicæ
qvam fructuosa ægris , qvam jucunda sit labo-
rantibus ; & dum exsequias juveni viginti annorum
ornatissimo ducitis , oculos animosqve vestros con-
vertite ab hujus discessu , ad illius mortem , de cuius
utilitate summa ad qvamlibet Piorum animam
Bernardns mellitissimus : *Non est morbus animæ*,
cui Dominicæ mortis floribus mederi non possis. Col-
liget tantum folia florum florentis JESU , stillas san-
guinis rubicundi & tanquam pillulas , sine qvibus
esse nolo , in cubiculo cordis tui reconde . Erit tibi illa-
rum sapor & odor in medicinam salubrem , morbos
si qui fuerint repellentem , venturosqz carentem .
Cetera apud Abbatem Clarævallensem , qvem dixi,
atqve alios legite , expendite & valete .

T. E.

ULB Halle
002 677 830

3



S6

Nv 1999

(1/69.)

VDA



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Centimetres

Inches

8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

an 39.
40.
VIADRINÆ
VICUS
PRIUS
CUS
D. & Profes
OGORUM ordinis
is
uneris,
ium,
II
humanitate
issimo
WALTHERO
Silesio
filosophiæ
as Cupiunt
AMICI,
ria universos
tat
XXV.
KOCCHII.